

[1] Ubi illa prūdentia tua? Ubi in dispiciendīs rēbus subtīlitās? Ubi magnitūdō? Tam pusilla <tē rēs> tangit? Servī occupātiōnēs tuās occāsiōnem fugae putāvērunt. Sī amīcī dēciperent (habeant enim sānē nōmen, quod illīs noster error inposuit, et vocentur, quō turpius nōn sint)\*\*\* omnibus rēbus tuīs dēsunt illī, quī et operam tuam conterēbant et tē aliīs molestum esse crēdēbant.

[2] Nihil hōrum īnsolitum, nihil inexpectātum est; offendī rēbus istīs tam ridīculum est quam querī, quod spargāris <in balneō aut vexeris> in pūblicō aut inquinēris in lūtō. Eadem vītae condiciō est, quae balneī, turbae, itineris: quaedam in tē mittentur, quaedam incident. Nōn est dēlicāta rēs vīvere. Longam viam īngressus es: et lābāris oportet et arietēs et cadās et lassēris et exclāmēs: ‘Ō mors!’, id est mentiāris. Aliō locō comitem relinquēs, aliō efferēs, aliō timēbis: per eiusmodī offensās ēmetiendum est cōnfragōsum hoc iter.

[3] Morī vult? Praeparētur animus contrā omnia; sciat sē vēnisse, ubi tonat fulmen; sciat sē vēnisse ubi

‘Lūctus et últricēs posuēre cubīlia Cūrae  
pāllentēsque habitānt Morbī trīstīsque Senectūs’.

In hōc contuberniō vīta dēgenda est. Effugere ista nōn potes, contemnere potes; contemnēs autem, sī saepe cōgitāveris et futūra praesūmperis.

[4] Nēmō nōn fortius ad id, cui sē diū composuerat, accessit et dūrīs quoque, sī praemeditāta erant, obstitit: at contrā inparātus etiam levissima expāvit. Id agendum est, nē quid nōbīs inopinātum sit; et quia omnia novitāte graviōra sunt, hoc cōgitātiō adsidua praestābit, ut nullī sīs malō tīrō.

[5] ‘Servī mē relīquērunt.’ Alium compilāvērunt, alium accūsāvērunt, alium occīdērunt, alium prōdidērunt, alium mulcāverunt, alium venēnō, alium crīminātiōne petiērunt: quidquid dīxeris, multīs accidit\*\*\* deinceps, quae multa et varia sunt, in nōs dēriguntur. Quaedam in nōs fīxa sunt, quaedam vibrant et cum māximē veniunt, quaedam in aliōs perventūra nōs stringunt.

[6] Nihil mīrēmur eōrum, ad quae nātī sumus, quae ideō nullī querenda, quia paria sunt omnibus. Ita dīcō, paria sunt; nam etiam quod effūgit aliquis, patī potuit. Aequum autem iūs est nōn, quō omnēs ūsī sunt, sed quod omnibus lātum est. Imperētur aequitās animō et sine querellā mortālītātis tribūta pendāmus.

[7] Hiems frīgora addūcit: algendum est. Aestās calōrēs refert: aestuandum est. Intemperīēs caelī valētūdinem temptat: aegrōtandum est. Et fera nōbīs aliquō locō occurret et homō perniciosior ferīs omnibus. Aliud aqua, aliud īgnis ēripiet. Hanc rērum condiciōnem mūtāre nōn possumus: illud possumus, magnum sūmere animum et virō bonō dīgnum, quō fortiter fortuīta patiāmur et nātūrae cōnsentiāmus.

[8] Nātūra autem hoc, quod vidēs, rēgnum mūtātiōnibus temperat: nūbilō serēna succēdunt; turbantur maria, cum quiēvērunt; flant in vicem ventī; noctem diēs sequitur; pars caelī cōnsurgit, pars mergitur: contrārīīs rērum aeternitās cōnstat.

[9] Ad hanc lēgem animus noster aptandus est; hanc sequātur, huīc pāreat; et quaecumque fīunt, dēbuisse fierī putet nec velit obiūrgāre nātūram. Optimum est patī, quod ēmendāre nōn possīs, et deum, quō auctōre cūncta prōveniunt, sine murmurātiōne comitārī: malus mīles est quī imperātōrem gemēns sequitur.

[10] Quārē inpigrī atque alacrēs excipiāmus imperia nec dēserāmus hunc operis pulcherrimī cursum, cui quidquid patiēmur intextum est; et sīc adloquāmur Iovem, cuius gubernāculō mōlēs ista dērigitur, quemadmodum Cleanthēs noster versibus dīsertissimīs adloquitur, quōs mihi in nostrum sermōnem mūtāre permittitur Cicerōnis, dīsertissimī virī, exemplō. Sī placuerint, bonī cōsulēs; sī displicuerint, sciēs mē in hōc secūtum Cicerōnis exemplum:

[11] ‘Dūc, ō parēns celsīque dōminātōr polī,  
quocūmque plācuit: nūlla párendī mora ést;  
adsum ínpigér. Fac nōlle, cómitābōr gemēns  
malúsque pátiar, fácere quód licuít bonō.  
Dūcúnt voléntem fáta, nólentém trahúnt.’

[12] Sīc vīvāmus, sīc loquāmur; parātōs nōs inveniat atque inpigrōs fātum. Hic est magnus animus, quī sē eī trādidit: at contrā ille pusillus et dēgener, quī obluctātur et dē ōrdine mundī male exīstimat et ēmendāre māvult deōs quam sē. Valē.